21 Junij 1573.

1573

Maxim: Secundus diuina fauente clementia
Electus Rom: Imperator semper Augustus.

Spectabilis et Magnifice sincere nobis dilecte. Intelleximus quem tandem no-
ui Regis, in inclyto isto Poloniæ Regno Electio sortita sit exitum. qualiter au-
tem et quibus modis ea peracta sit, vobis optime constat. Nos vero ex re
tanto maiorem cœpimus dolorem. quo magis Regno isti, cuius incolumitas (vt
antiqua fœdera, amicitiam. et vicinitatem iure taceamus, quæ non modo sar-
ta tectaq; conseruari. verumetiam arctioribus vinculis constringi ac roborari
vtrinq; plurimum interesse iudicauimus.) Regnis et Prouincijs nris. cum
illo communis est, quam optime consultum cupimus. Atq; Deum, humanarum
mentium Inspectorem, nramq; conscientiam. testes habemus. Nos in his, quæ
egimus, in hunc potissimum scopum respexisse. nec immoderata aliqua regnan-
di cupiditate, sed tam Poloniæ, quam Regnorum ac prouinciarum illi adiacen-
tium, salutis et tranquillitatis studio, ductos. Serenißi: filium nrum Archidu-
cem. Ernestum. vt quem ita a nobis educatum, eaq; indole, virtute, alijsq; qua-
litatibus præditum sciremus, vt ipsius electione inclyto Poloniæ Regno haud
incommode prospectum fore arbitraremur. eiusdem Regni ordinib: obtulisse.
Cumq; nihilominus, vti cætera Priuilegia, libertates, et consuetudines, ita etia
liberrimæ Electionis vræ, iura salua esse voluerimus, non tam eiusdem filij
nri repulsam. quam istud vehementer dolemus, suffragiorum libertati, non
eum, quem par erat. locum relictum fuisse. Vt ut autem hæc sunt, Nos Deo
Altissimo rem omnem committimus.
Quoniam vero Oratores nri, tum antehac per lras. tum et huc reuersi coram
nobis retulerunt, non defuisse nobis multorum. qui patriæ ac Respub: amātes.
integerrimam mentem nram cognoscerent, studia: ac inter eos quidem vos, sin-
ceram vram erga nos, filiosq; nros serenißi: & inclytam Austriæ domum, vo-
luntatem constanter testatos esse: Nos sane pro hoc vro Candore, ac constanti
in Nos studio. non minores vobis. qui nihil, quod ad rem ex voto cōficiendā
pertineret, ac per vos præstari posset, vestra ex parte desiderari passi estis,
gratias deberi agnoscimus, quam si optatus secutus esset euentus. Ac pro-
inde vobis omnino persuasum esse volumus, Nos nihil æque desiderare, ac ea
nobis offerri occasionem atq; media, quib: nrum vicißim propensißimum ani-
mum vobis facto potius, quam verbis, declarare possimus. Ita quidem, vt
nobis pergratum sit futurum. vbi de huiusmodi medijs ipsimet cogitaueri-
tis: experturi, nos vna cum filijs nris charißim: gratitudini, insigni vro
merito debitæ, nullo loco, vel tempore, esse defuturos. Quod autem ad nos
attinet. nihil plane dubitamus, quin vicißim, quæ vra est integritas; eun-
dem in Nos, nostrosq;, animum constanter retenturi, ac in nostris, ac illorum
rebus, quas vobis diligenter commendatas cupimus, quotiescunq; occasio
tulerit, eadem, qua hactenus, promptitudine comprobaturi sitis. Quod

Reliquum est, vos recte valere optamus. Datum in Civitate nra Vienna
Die 21 Mensis Junij. Anno 73 Regnorum nrorum Romani, Un=
decimo. Hungarici Decimo. Bohemici vero vigesimo quinto.

Maximilianus etc.

V[t] Jo. Bapt. Weber D.

R. Perenburger etc.

Spectabili, et Magnifico, sincere
nobis dilecto Achatio Czema,
Palatino Pomeraniae D. etc.